Fratres. Convenientibus
vobis in unum iam non est
dominicam cenam manducare. Unus
quisque enim suam cenam presumit
ad manducandum. Et alius quidem
esurit. alius autem ebrius est.
Numquid domos non habetis ad
manducandum et bibendum. aut
ecclesiam dei contempnitis. et con
funditis eos qui non habent.
Quid dicam vobis? Laudo vos?
In hoc non laudo. Ego enim ac
cepi a domino: quod et tradidi vobis.
quoniam dominus Ihesus in qua nocte trade
batur. accepit panem et gratias
agens fregit et dixit. Hoc est cor
pus meum quod pro vobis tradetur.
hoc facite in meam commemoratio
nem. Similiter et calicem postquam
cenavit dicens. Hic calix no
vum testamentum est in meo sanguine

SLUB
Wir führen Wissen.
STADT BIBLIOTHEK CHEMNITZ

SLUB
Wir führen Wissen.
STADT
BIBLIOTHEK
CHEMNITZ

78.
78

EPITHALAMIA IN HONOREM NVPTIARVM HONE-ſti atque eruditi Iuuenis Dn. IACOBI BREITINGII, Sponſi,

&

CASTISSIMÆ FOEMInæ SALOMÆ, ornatiſsimi viri Dn. ABRAHAMI SCHREY Senatoris quondam Bornenſis relictæ viduæ, Sponſæ, celebratarum VVeidæ 16. Maij, Anno Chriſti 1586.

Fauoris & beneuolentiæ ergò ab amicis nuncupata.

STADTBIBLIOTHEK ZU CHEMNITZ
275

LIPSIÆ

Imprimebat Georgius Defnerus.

SLUB Wir führen Wissen.
STADT BIBLIOTHEK CHEMNITZ

EPITHALAMIVM.

Cynthius Alcathoi precio dum conderet arcem,
Creditus eſt muris applicuiſſe chelyn:
Vnde, leui pulſu melicos exacta canores,
Mœnia mirificis percrepuere modis.
Et (niſi nuda canunt ſacri mendacia vates)
Non fuit hæc vano fabula ficta ioco.
Quippe patrum menſas, & puluinaria regum
Exhilarat numeris Muſica blanda ſuis.
Nuncupet Archidamus laſciua obſonia cantus,
Calliopenq; dapum cenſeat artificem;
Non tamen indecorem caſſámue coarguet artem:
Euolat, ac duplices arripit illa polos.
Viderat hoc olim Sponſæ pater, atq; Samæi
Formari ſobolem iuſſerat arte ſenis.
Rara fides rerum: iuſſu genitoris ad vnum
Harmonicos pueri condidicere modos.
Taliter inſpectrix vigilum caßita laborum
Altorem grato prædicat ore DEVM.
Eois quoties Titan iubar emouet vndis,
Paſcendi quoties gutturis hora redit;
Reddita quamprimùm ſentiſcit pabula venter:
Flexibiles recinit lenior æthra ſonos.
Fortunate ſenex; te nunc miratur amæna
Cyzicus, eximiæ progeniemq; domus.

Te nunc Hermione, te Phœbus, & æmula Phœbi
Suſpicit ob natos Calliopea tuos.
Macte pia ſobole: natabus macte pudicis;
Quas DEVS, atq; DEO proxima Pallas amat.
Macte nouo genero, cuius modulator Apollo
Labra Meduſæis commadefecit aquis.
Deperit euge ſuũ SALOME pudibunda IACOBVM:
Spicula torquet Amor, vincula tendit Hymen.
Vinciat amborum parilis concordia mentes:
Firmiter illa ſuum diligat, ille ſuam.
Sordeat Archabius, parcusq; Aſpendius artis:
Dorius interea ſeruet vtrumq; tonus:

Iohannes Sifridus Bornenſis.

A L I V D.

Summe parens rerum, rerum mirabilis autor,
Iunxiſti qui Euam ſociali fœdere Adamo,
Quiq́; ſuum iuſſi multiplicare genus:
Quæſo Numine cum tuo ſacrato
Huc ades: Sponſo teneram maritã
Coniunge: quod dextera tua
Iungit, nemo mortalium
Diſſolüiſſe poteſt.
Chriſte redẽptor,
Da putet eſſe ſuam
Carnem nouus ſponſus nouam
Sponſam: ſciatque agnoſcere
Sponſa Sponſum caſta caput ſupremum:
Sic accidet quod THOBIÆ,
SARÆ que quod contingeret,
Coniugio hoc: Sathanæ
Frausq́; dolusq́;
Voxq́; maligna hominum
Cedent procul: blanditiæ
Suauiſsimæ pignora ſua
Ambient tædæ: fugient PENATES
Ærumnæ, lacrymæ, querela, luctus:
Inuidáque amborum fortia fila ſimul
Abripiet LACHESIS: CLOTHO glomerata recondet:
ATROPOS ad cœli ducetq́; palatia MENTES.

Caſparus Hayneccius Bornenſis.

ALI-

ALIVD.

QVid tibi, Sponſe, precer, thalami qui fœdera iungis?
Quid tibi, quam ſponſam tæda pudica facit?
Ipſum hoc, quod pia turba tibi, Charitesq́ precantur,
Scilicet, vt ſanctus vota ſecundet Amor.
Sanctus Amor, firmo ſtringens duo pectora vinclo:
Sanctus Amor, CHriſtus cui paranymphus adeſt.
En IACOBE tibi Nympham virtutibus auctam:
En ſponſo SALOME Sponſa beata nouo.
Naſcantur vobis (ſi quid mea vota valebunt)
Naſcantur caſti pignora multa tori.
Viuite felices, concordi viuite lecto,
Adſit ſemper Eros, limina vitet Eris.
Hæc & plura precor, quibus arduus annuet æther,
Et precibus faciet pondus ineſſe meis.

Caſparus Ritter VVeidenſis.

SLUB
Wir führen Wissen.
STADT BIBLIOTHEK CHEMNITZ

SLUB
Wir führen Wissen.
STADT BIBLIOTHEK CHEMNITZ

SLUB
Wir führen Wissen.
STADT
BIBLIOTHEK
CHEMNITZ

SLUB
Wir führen Wissen.
STADT
BIBLIOTHEK
CHEMNITZ

aut̄ emissa voce magna ex
piravit. p̄i. vr̄. Et velum te
pli scissū ē in duo. a summo usq;
deorsū. Videns aut̄ centurio qui
ex adverso stabat. q̄a sic clamans
expirasset ait. Vere hic homo
dei filius erat. Erant aut̄ et mu
lieres de longe aspicientes. int̄
q̄s erat maria magdalene
et maria iacobi minoris et
ioseph mater et salome.
Et cū eēt in galilea sequebant̄
eū. et ministrabant ei et alie
multe q̄ simul cū eo ascenderāt
ierusalē. ev. Et cū iam
sero eēt factū. quia parasceve
erat qd̄ ē ante sabbatū. venit
ioseph ab arimathia nobil
decurio. q̄ et ipse erat expectans
regnū dei. Et audacter intro
ivit ad pylatū et petivit